



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118324**

§. 186. Dissidia Joannis Navarræ Regis cum suo Filio

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

Sæcul. XV. nuptiales hæ pactiones suo caruere effe-  
A.C. 1456. ctu; quippe Eleonora postmodum nupsit  
 Herculi Estensi Ferrariæ Duci, illiusmet  
 Estensis Marchionis Filio, qui nuper Græ-  
 cis Ferrariam adventantibus Venetias  
 usque obviam processerat.

## §. CLXXXVI.

*Dissidia Joannis Navarræ Regis  
 cum Filio ejus.*

Eodem ferme tempore simultates, quæ  
 totum Navarræ Regnum innumeris  
 calamitatibus involvebant, exordium sum-  
 psere. Blanca enim Regni hujus hæres  
 ex Joanne Arragono Marito suo filium,  
 Carolum nomine, suscepit; cum autem  
 uxor ejus anno supra millesimum qua-  
 dringentesimo quadragesimo primo fa-  
 tis functa fuisset, Joannes secundas nu-  
 ptias cum Isabella a Lusitania iniit, re-  
 gnumque Navarræ usurpavit, legitimo  
 ejusdem hærede Carolo prætermisso, qui  
 eo tempore trigesimum ætatis annum a-  
 gens, nonnisi duas sorores superstites ha-  
 buit, quarum una Gastoni Fuxensi Co-  
 miti, altera Henrico Castellæ Infanti  
 nupsit. Hæc ipsa Navarræ regni usur-  
 patio bellum Patrem inter & Filium su-  
 scitavit, nec deerant parti utrique fau-  
 tores longe potentissimi. Grammontenses  
 quippe Patris, Bellomontani vero prio-  
 ribus haud impares Filii partes pro viri-  
 bus

bus tuebantur. Caroli quoque Noverca  
 illius opprimendi studio accensa, non pa-  
 rum diffensionum flammam auxit, patris-  
 que animum adversus eum acrius concitavit,  
 unde implacabile odium, & sævissimum  
 exarsit bellum. Carolus Princeps prælio  
 contra Patrem suum inito devictus, captus  
 que est; paulo post tamen libertati asserebatur,  
 Arragonensibus inter utrumque pacem  
 conciliantibus. Verum haud diu concordia  
 tenuit, novis mox turbis ex nimia Patris  
 cupiditate, & improba Filii indignatione  
 conflatis.

## §. CLXXXVII.

*Nannetensis Episcopus a Parisiensi  
 Curia exauditoratus.*

Præsens annus luculentum nobis sup-  
 peditat eximii fervoris specimen, quo  
 Parisiensis Senatus Ecclesiæ Gallicanæ  
 libertates continuo tueri allaborat. Gui-  
 lielmus de Maletroito Nannetensis Episcopus  
 a quodam Caroli VII. edicto Romam  
 provocavit. Senatus postulante  
 Procuratore Generali Episcopum propter  
 suam appellationem temporalibus Episcopatus  
 bonis lata sententia exuit, causatus,  
 Ecclesiæ Gallicanæ privilegia, ac  
 primarias regni leges violatas esse, quæ  
 ejusmodi provocationes penitus inhi-  
 bent, eoquod Rex nemini præterquam  
 soli

Sæcul. XV.  
 A. C. 1456.

*Theaur.  
 Chronol.  
 P. Romualdi  
 Folietan. ad  
 ann. 1455.*